

surget, vt liberum tormentorum vsum nihil impediat, sed expeditam ea diri-  
 gendi concedat rationem. Iam in fossæ alueo ad huius aggeris radicem propug-  
 nacula subinde astruentur, centenis à se mutuò pedibus disita, quæ non admo-  
 dum in sublime excitata, duplici tecto instruantur, ad eius rationis imitatio-  
 nem, quam supra finiuimus. Inter hæc deinde propugnacula ad fossæ alia pas-  
 sim construuntur rotunda, quæ & ipsa humilia & sursum versus nonnihil fa-  
 stigiata, tecti rationem à superioribus non absimilem sortiantur. In hæc nimirum  
 propugnacula seu fossæ stationes secretiora itinera quasi diffugia agentur, quæ  
 aditus reditusque clanculario præstent. Est enim hoc genus munitionum non  
 modo vtile, sed necessarium quoque, cum hostis in fossam prouolutus, cateruatim  
 muris scalas aduoluit. Ad extremum portæ in aggere aliisque munitionibus,  
 quæ vehiculi onera perferent, testudine superinducta robustiore præmunien-  
 tur, ne attritu carrorum, decussationibusque succumbant. Alioqui enim quæ hu-  
 ic muneri non distribuuntur, eis testudo exilior facile suffecerit. Hanc denique  
 muniendi rationem infra ductis lineamentis imitabimur, usurpatis ad eam rem  
 commodè distinguendam, certis literarum elementis: ex quibus A vrbi, huius fos-  
 sæ B, pro hac planicie C, aggeris pavimento D, ad frontem superficiei conuex-  
 itati E, fossæ recens ductæ F, stationibus seu rotundis propugnaculis G, solo de-  
 niq; ad frontem H distinguendis attribuetur. Iam non ardui operis fuerit, hac  
 muniendi forma urbem in plano sitam ita circuire, vt vetera à recentibus & mu-  
 nitiora & concinna magis reddantur. Veruntamen cum ea loci situsque oportu-  
 nitas negabitur, vt vniuersam hanc vrbs muniendæ rationem commodè vsur-  
 pare liceat, etiam tum ipsa hætenus vtendum erit, quatenus id loci natura cõ-  
 cesserit. Denique eius item munitionis faciendæ studiosum commonero, vt si-  
 cubi lapidum inopia muri ducendi facultatem denegauerit, ex cespite, hoc est,  
 virenti telluris cute colligat aggerem, qui muri defectum compenset, eumque ego  
 stis fossis ad latera præmuniat. Cæterum de hac munitionum forma præ-  
 ceptiones nullas conscribendas duximus, quod sicuti minore impen-  
 sa ac diligentia fortasse remissiore, quam lapideæ conficiun-  
 tur, ita minus quoque securam defensionem promittunt.  
 Nam & actis cuniculis facile subruui, & missilium  
 impetu citius allidi, findique, & scalarum dire-  
 ctionibus promptius accommo-  
 dari possunt.